

a S. Fausto apud Dian. tract. 1. tract. 8. resolut. 53. et 78. (36. Septimo quando res venduntur sub hasta, seu foro scrutatorio sine ulla fraude; tunc enim possunt etiam emi infra dimidium ejus pretii quo emerentur in officina; Ita Molina, Bonacina, alii, quos citat Layman l. cit. n. 10. Diana part. 4. tract. 4. resolut. 12. La Croix lib. 3. par. 2. num. 935. Sporer l. cit. num. 23. Dicitur notanter sine ulla fraude, quia si interveniat dolus, vel fraus, ut si inter se conveniant emptores de certo pretio, ultra quod non ascendatur, justitia læditur, et defectus pretii restituendus est juxta fraudem, et damnum Domino causatum, quia ex dolo, et malitia nemo commodum reportare debet. Sic Doctores communiter per Jura allata sub. n. 23.

(37. Deputatus ad aliquam rem emendam certo et determinato pretio, si pretium solummodo determinatur, ne excedatur, non potest sibi retinere aliquid, si minoris emit; *Certa ac Communis*. (38. Potest tamen sibi retinere, si Dominus ita determinavit pretium, ut nihil aliud desideret, quam ipsam rem emendam pro tali pretio, relicto emptori, si quid minus expenderit in ipsa re emenda; *Iterum certa et communis*. (39. Regulariter vero loquendo quando aliter non constat de voluntate Domini, deputatus ad emendam rem determinato pretio v. g. pro decem, si ei contingat emere pro octo, non potest tuta conscientia sibi retinere illa duo, quia eo ipso quod annuit emere alteri, ejusque nomine, et commodo, tacite promissit per moralem diligentiam utiliter rem alterius gerere, et emere quanti minoris poterit, perinde ac si famulus ejus esset, vel mercede conductus, adeoque nihil sibi acquirere poterit; Castropalao de Justitia commutat. disp. 5. punct. 16. Navarr. in Manual. c. 23. n. 97. Molina disp. 363. Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 19. Silvester verb. *Emptio* q. 24. Reiffenstuel l. cit. num. 433. Sporer l. cit. n. 37. et alii passim. Unde de similibus deputatis, seu mandatariis ad emendum sit dicit Cicero in Oratione pro Sexto Roscio: « Ergo idcirco hæc culpa est, quod duas res sanctissimas violat; amicitiam et fidem. Nam neque mandat quisquam, nisi amico; neque credit, nisi ei quem fidelem putat. Perditissimi est igitur hominis, simul amicitiam dissolvere, et fallere eum, qui læsus non esset, nisi credidisset. »

(40. Deputatus autem ad emendam aliquam rem, si ultra intentum Domini specialem et extraordinariam diligentiam, industriam et laborem adhibuit pro emendo minori pretio, ut si rogatus emere in hoc loco citra suum speciale incommodum se transferat cum suo speciali incommodo, et dispendio ad alium loco distantem, et ibi rem commissam emat longe minori pretio, quam Dominus intenderat, vel sperabat, tunc poterit aliquam partem pretii incommodo, et industriæ suæ proportionatam sibi retinere; Sic communis Doctorum. Talis enim deputatus in emendo alteri tenetur solummodo ordinariam, et moralem diligentiam adhi-

bere, dicta autem adhibita diligentia est extraordinaria, et qui utitur tali extraordinaria diligentia non intendit Domino, sed sibi negotiari. (41. Sic etiam potest deputatus ad emendam aliquam rem v. gr. Sartor deputatus ad emendum pannum serica, et hujusmodi pro vestimentis conficiendis, potest sibi retinere id quo minus emit, si Mercator, vel venditor in solam sui gratiam partem aliquam pretii justis remisit, quod evenit, quando Mercator dicit Sartori, quia tu frequentas continue meam officinam, emptores sæpe sæpius ad me adducas, et ad hoc ut majores deinceps adducas, de pretio justo a Domino solvendo v. gr. de decem argenteis remitto, et dono tibi unum pro singula ulna; tunc enim juste retinere potest, quia in tali casu Mercator vere de suo remittit, et donat. (42. Dummodo tamen, ut recte advertunt passim Doctores duo concurrant. Primo, ut Sartor prius adhibeat diligentiam moralem ad emendum pannum, serica, et hujusmodi ab hoc, vel alio Mercatore, quantum potest minori pretio, et vere instet, et urgeat sufficienter venditorem pro minuendo pretio et non dissimulet, et facile conveniat in pretio spe illius lucri, et præmii sibi a venditore tradendi; alioquin dolum contra dominum sine dubio committet, et restituere debet. Secundo, ut mercator vere et sine fallacia pannum illum, serica, et hujusmodi, justo pretio, scilicet pro decem vendere consuescat et ita vendat et alii; adeoque argenteus ille unus Sartori remissus et donatus vere sit de justo pretio panni, et hujusmodi, nam alioquin mercator non de suo, sed de alieno dabit Sartori, cum damno Domini, et ambo simul furtum palliabunt cum onere restitutionis; Unde quia ista plena sunt scopulis atque scrupulis, antequam fiant, sunt dissuadenda; postquam vero facta sunt, quomodo contingerint sunt diligenter, et serio examinanda.

(43. Emens frumenta tempore messis, quo minus valent, ut servet vendenda ad tempus, quo magis valere solent, si non faciat animo inducendi charitatem, et postea vendat intra limites justii pretii, nullimode est culpandus; sic communis cum S. Antonino 2. part. summæ Theologiæ tit. 2. cap. 23. § 16. ubi sic expressa habet: « De ementibus tempore messium blada, et tempore vindemiarum vinum, et alios fructus, ut postea carius vendant in futurum... Si... propter privatum commodum, tunc fit tripliciter... secundo fieri potest secundum justitiam commutativam, ut faciunt mercatores, et licite possunt pro opera sua recipere lucrum, ut sustententur, dummodo non intendant caritatem inducere. » Ipse enim utitur jure suo, nec alios impedit quo minus etiam emant, si velint, et differant venditionem ad tempus, quo magis blada, et hujusmodi valere solent; et ita fecit Joseph. Genes. 41. (44. Dicitur notanter, si non faciant animo inducendi caritatem, quia si unus, aut pauci coemunt omnia frumenta, et hujusmodi ut postea illa vendant ad suum libitum eo pretio, quo voluerint, injustissime agunt, et monopoli-

um committunt: leg. unic. C. de Monopoliis: Et tamquam perniciosi Reipublicæ legibus, et pœnis coerceri debent, cogendo ipsos in annonæ charitate frumenta, et hujusmodi minori, justo tamen pretio, dividere. leg. *Annonam*, ff. de extraordinariis Criminibus: Unde merito in cit. leg. unic. cod. Monopoliis inhihetur sub pœna proserptionis omnium bonorum, et exilii perpetui ne mercatores inter se conveniant de non emendis aut vendendis mercibus, nisi constituto ab ipsis pretio. (45. Tales enim monopolæ nedum peccant graviter contra charitatem, sed etiam contra justitiam cum onere restitutionis, quia quando sic conveniunt monopolæ, et coemunt omnia frumenta v. g. in Urbem invecta, sicque privant alios emendi facultate, ut ipsimet carius pro suo libito postea vendant, violentiam, adeoque injuriam faciunt Communitati, seu Reipublicæ: Sic Angelus, Silvester, Navarr. uterque, alique cum Layman lib. 3. tract. 4. num. 17. n. 41. Sporer loc. cit. num. 103. La Croix loc. cit. num. 946. Henno tom. 2. tract. 2. disput. 7. quæst. 3. conclus. 4. et alii.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(46. De his, qui emere possunt vel non possunt nequiquam agit Auctor hoc in articulo, quamvis agere debuisset. (47. Regula tamen juris est quod emere possunt quilibet non prohibiti. Videndum igitur æquanim emere prohibeantur.

(48. Tutor in auctione publica Pupilli rem emere potest leg. 5. Cod. de Contrahen. Emptio. (49. uti et a Contutore, si bona fide negotium geratur leg. 5. § 2. ff. de Auctoritate Tutor., (50. non vero clam, nec per interpositam Personam, nec mala fide; (51. quibus tamen in casibus si Pupillus Major factus emptionem comprobaverit, ea valeret dict. leg. 5. § 2. 3. et 4. ff. de Auctoritat. Tutor.

(52. Quæ de Tutoribus cauta, ea quoque in Curatoribus, Procuratoribus, Exequutoribus Testamentariis, aliisque similibus, qui aliena gerunt negotia procedere debent leg. 34. § ultim. ff. de Contrahen. Emptione.

(53. Oeconomis in universum vetita est Emptio rerum ad Ecclesiam pertinentium. Authen. quibuscumque Cod. de Sacrosant. Eccles. (54. At moribus idem in his, quod in Tutoribus servari monet Grœnewegen ad l. 5. in fine Cod. de Contrahen. Empt. De his vide post multos alligatos Bruneman. in Cod. lib. 4. tit. 38. leg. 5. ibique Barbos. Duaren. tom. 3. pag. 529. tit. de contrahen. empt. cap. 5.

(55. Milites emere prohibentur Prædia ea

(1) Sed propter Clausulam *Constitutum*, quæ hodie in omnibus instrumentis solet apponi inutilis prorsus est hujusmodi quæstio. Hæc enim clausula efficit, ut in Emptorem transeat utraque possessio, et dominium, ommissa qualibet alia materiali traditione, ut pluribus allegatis tenet Rot. dec. 59, num. 5, dec. 40, num. 2, dec. 180, num. 14, cor. Crispo. dec. 98, num. 5, cor. Tanar. « Vigore clausulæ Constituti positæ in supra enunciata donatione, quæ dominium et possessionem transtulit in Constituta-

in Provincia, in quam militant, exceptis Paternis a Fisco distractis. L. 9. ff. de Re militari.

(56. Magistratibus tum eorum Domesticis ac Ministris per se, vel interpositam Personam, sive palam sive clam in Provincia illa, cui præsent, interdictum est emere. (57. Idque quia emptio per ipsos facta non tam a libera Venditorum voluntate profecta, quam metu potentiae et auctoritatis extorta crederetur, et magis ereptio, quam emptio esse; (58. in eos, qui contra fecerint constituta pœna quadrupli, tum amissionis rei emptæ, si emerint ex officio, (59. nimirum si emerint dum ipsi officio suo fungentes eam vendiderunt, aut vendi jusserunt, atque ita ipsi simul essent emptores ac venditores leg. 46. ff. de Contrahen. Emption. (60. Excipe tamen et hic prædia Paterna, uti et res ad victum, et amictum pertinentes leg. 62. ff. de Contrahen. Emption. leg. Unic. Cod. de Contract. Judic.

(61. Nemo emere domum potest eum in finem, ut destruat, constituta dupli Fisco inferendi pœna, ita tamen, ut Venditor Emptori solvendi Fisco duplum acceptum pretium reddere teneatur; Leg. 52. ff. de Contrahen. Emption. (62. Fit hinc ut inspecto effectu Emptor, et Venditor simpli singuli mulcentur.

(63. Hæc de his, qui emere possunt, vel non possunt. Nunc illud dispiciendum, an Emptor propria auctoritate possessionem rei emptæ apprehendere possit, si ei permissa ipsa sit in emptionis Instrumento?

(64. Negans opinio arripit et jure meritoque Doctissimo Leyser in Meditat. ad Pandect. spec. 207. § 3. et dub. sequent.

(65. Permissio enim apprehensionis possessionis in Instrumento facta, secundum leges, quibus contrahentes semper se conformasse censentur, de legitima apprehensionis possessione, quæ voluntate Venditoris, aut Judicis causa cognita consentientis, explicanda est. (66. Idque verum adeo est, ut si alia fuerit Contrahentium mens, atque sic privatam vim indulgere voluerint, irritum sit pactum, tamquam juri publico bonis moribus, et ordini contrarium. Confer Stryk de Cautel. Contract. sect. 2. c. 1. § 36. (1).

ARTICULUS III.

Quoad ea, quæ concernunt venditorem.

(1. Venditor ob solam dilatam solutionem, seu vendendo credito sine justo titulo, nequit rem vendere plus justo pretio, id est supra pretium summum: Sic communis

rium absque alia traditione, cor. Herrera dec. 27, num. 1, et dec. 102, cor. eod. in Romana Redditionis rationis 1 Martii, 1709, § *Verum quia cor.* Priolo. in Forolivien Domus, super manutentione 24 Aprilis 1718, § *Ea quidem cor.* Althann. atque ideo eosdem parit effectus, quos vera, et realis traditio producit. Rot. dec. 74, n. 2, cor. Herrera, et in Romana Restitutionis Dotis. 20 Martii 1711, sub § *Profecto in fin.* cor. Scotto. (Edit. Barbiell.)

Doctorum textu expresso in cap. *Consuluit* 10. de usuris, ubi ad interrogationem, « An negotiator pœna consimili (usuræ) debeat condemnari, qui merces suas longe majori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixioris dilatio prorogetur, quam si ei incontinenti pretium persolvatur? » Respondet summus Pontifex Urbanus tertius: « Verum quia quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio manifeste cognoscitur, in quo dicitur: Date mutuum, nihil inde sperantes, hujusmodi homines pro intentione lucri quam habent, cum omnis usura, et superabundantia prohibeatur in lege, judicandi sunt male agere, et ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi. » Idem statuit Concilium Mediolanense primum 2. part. tit. 68. de usuris, ibi: « Ne quis rem aliquam ob dilatam solutionem carius vendat justo pretio; » et Concilium Burdigalense tit. de usuris, ibi: « Ne quis ob dilatam solutionis diem carius vendat, quam justii ratio ferat. » (2. Dicitur autem notanter sine justo titulo, quia si in venditione crediti facta interveniat aliquis justus titulus, v. g. periculum, vel difficultas pretii postea recuperandi, lucrum cessans, aut damnum emergens, potest Venditor rem pluris vendere juxta proportionem incommodi, periculi, aut damni, vel hujusmodi: Sic Molina disput. 356. Castropalao de justitia commutativa disput. 5. punct. 12. n. 6. Less. loc. cit. num. 21. dub. 6. n. 54. Medina de restit. quæst. 38. cas. 3. et 4. Reiffenstuel loc. eod. num. 151. Sponer loc. cit. n. 31. Henno tom. 2. tract. 2. disp. 7. q. 4. concl. 1. Diana part. 1. tom. 8. resol. 57. La Croix l. 7. cit. a n. 943. Valentia, Sa, Moya cum communiori et probabiliore eorum, quibus etiam favet S. Thomas 2. 2. q. cit. art. 4. ad 2. opusc. 73. cap. 10. arg. cap. In Civitate 6. 7. usuris.

(3. Ut autem liceat Venditori supra summum pretium vendere pluris ad creditum ratione lucri cessantis, notant passim Doctores requiri sequentes conditiones: 1. Ut Venditor, seu mercator fuisset revera venditurus mercem alteri numerata pecunia, nisi vendidisset huic credito; quia alias si non vendidisset numerata pecunia, non habuisset jam pecuniam, qua negotiando potuisset aliquid lucrari, et sic nullum ei lucrum cessasset; Unde passim delinquent mercatores, qui indifferenter, quibusvis vendunt carius credito; etiam cum pauci, vel nulli sunt, qui emissent numerata pecunia. 2. Ut propter hoc quod ad creditum vendat, non ideo habeat plures Emptores, alioquin, sic compensaretur damnum suum. 3. Ut revera illa pecunia statim soluta fuisset negotiaturus ante tempus, quo solvetur, aliter si mansura erat otiosa, jam non ideo cessat mercatori lucrum, quia ad creditum vendidit. 4. Ut de lucro exigendo minuatur, seu detrahatur, quod ratione expensarum, et periculorum arbitrio boni viri in ea ne-

(1) Hoc Opusculum S. Thomæ non est. (Edit. Barbiell.)

gotiatione fuisset expensurus. 5. Ut Mercator de suo lucro cessante admoneat Emptorem, maxime cum credit, aut suspicatur quod nollet Emptor incommodum lucri cessantis subire; unde ipso non monito non potest ei res supra summum pretium vendi ratione solius lucri cessantis in venditore ex sola dilata solutione Emptoris: Quæ conditiones sunt attente considerandæ et observandæ a Mercatoribus vendentibus res credito pluris ratione solius lucri cessantis.

(4. Ratione autem periculi perdendi pretium, vel ex toto, vel ex parte, posse Mercatores pluris vendere ad creditum, docent cum aliis Diana part. 1. t. 8. resol. 57. Less. lib. 2. cap. 25. n. 33, alique viginti apud Moyam tom. 1. tom. 6. quæst. ultim. num. 6. (5. Item posse Mercatores pluris vendere ad creditum rationem difficultatum, molestiarum, et expensarum, quæ probabiliter timentur, seu solent accidere in exigendo postea pretio, docent cum communi S. Thomas opusc. 73 (1). num. 10. Sotus, Bannes, Prado, Moya l. cit. num. 7. alique teste Claudio La Croix loc. cit. num. 943.

(6. Absque ullo titulo licitum est vendere pluris ad creditum solum intra fines justii pretii, id est usque ad summum pretium: et quamvis mercator easdem specificæ merces soleat numerata pecunia vendere pretio medio, vel etiam infimo, potest ipsas ad creditum vendere pretio summo: Et ratio est, quia nunquam quis tenetur per se loquendo vendere infra summum pretium justum, cum venditio usque ad summum justum pretium etiam numerata pecunia sit justa in utroque foro ex dictis in articulo primo num. 14. ergo multo magis erit justa usque ad summum justum pretium venditio ad creditum, quæ solet habere multa pericula, et incommoda adjuncta; Sic communis Doctorum teste Azorio lib. 8. c. 8. § *In primis constat*.

(7. Supra summum autem justum pretium potest res plures vendi generaliter loquendo ob varias causas. Primo, ratione damni emergentis, si nempe Venditor ex eo quod rem suam Emptori vendat, damnum emergat, non secuturum, si eandem servaret: *Communis*, arg. cap. *Precaria* 4. § 3. caus. 10. quæst. 2. juncta leg. *Hoc jure* 19. § 1. ff. de donat. (8. Secundo ratione lucri cessantis; *Communis* arg. cit. cap. *Precaria*, et cap. *Naviganti* 19. de usuris, juncta leg. 21. § 3. ff. de action. empt. dummodo tamen concurrant conditiones assignatæ sub. num. 3. (9. Tertio ratione penuriæ, seu raritatis mercium: *Communis* arg. cap. *Legimus* 24. dist. 93. ibi: « Omne, quod rarum est, plus appetitur, ac pretiosius est. » (10. Quarto, ratione multitudinis Emptorum; existentibus enim, et concurrentibus multis Emptoribus, merces communiter pluris æstimatur, quæ communis æstimatio pretium justificat: *Communis* argum. leg. *Pretia rerum* 63. ff. ad leg. *Falcidiam*. (11. Quinto, ratione specialis ad rem affectus Venditoris,

causantis eidem honestam oblectationem (1) *Communis*. (12. Sexto, ratione periculi faciendi expensas in exigendo postea pretio; *Communis*. (13. Septimo, ratione periculi perdendi pretium sive ex toto, sive ex parte. *Communis*.

(14. Venditor interrogatus ab Emptore de certo vitio rei vendendæ, tenetur illud ei manifestare; aliter si fraudulenter negat, vel dolosa æquivocatione celat vitium, venditio est illicita, et iniqua, et tenetur de omni damno, argum. cap. *Sedes* 15. de rescriptis ibi: « Quia fraus, et dolus ei patrociniari non debent; » cap. *Ex tenore* 16. eodem tit. ibi: « Quia fraus et dolus alicui patrociniari non debent; » cap. *Tua* 12, de Clericis non resident. ibi: « Cum fraus, et dolus nemini debeat patrocinium impartiri; » cap. *Ex literis* 2. de dolo, et contum. ibi: « Nos attendentes, malitiam; et dolum nulli patrocinari debere; » leg. *Cum tit.* ff. de transact. ibi: « Non debet via aperiiri malitiis, » leg. *Si Legatarius*, Cod. de Legatis, ibi: « Ut non accipiat fructus suæ calliditatis, » leg. *Labeo* 13. ff. de actionibus empti et venditi, ibi: « Si vero sciens reticuit, et emptorem decipit, omnia detrimenta, quæ ex ea emptione Emptor traxerit, præstaturum ei. » (15. Si autem Venditor non interrogetur de vitio rei, potest licite ipsam vendere cum vitio occulto, dummodo vendat minori pretio proportionato rei vitio, (2) et sit res adhuc utilis emptori juxta proportionem pretii: Sic D. Thomas *quod libet* 2. art. 10 in corp. ibi: « Si ergo vitium rei venditæ non faciat rem minus valere, quam pretium impositum, quia forte Venditor minus pretium imponit propter vitium tunc non peccat tacens vitium, quia venditio non est injusta; et forte esset sibi damnosum, si vitium diceret, quia Emptor vellet habere rem etiam minori pretio, quam valeret, et sic Doctores passim. » (16. Nec tenetur Venditor indicare vitium rei manifeste patens, textu expresso in leg. *Ea*, q. 43. § 1. ff. de contrahend. emption. ibi: « Si quis hominibus luminibus effossis emat, et de sanitate stipuletur... de cætera parte corporis potius stipulatus videtur, quam de eo, in quo seipse decipiebat, » et sic habet communis Doctorum cum S. Thoma 2. 2. quæst. 77, artic. 3. in corp. ubi sic expresse dicit: « Si vero vitium sit manifestum, puta si equus sit monoculus, vel cum usus rei, et si non competat Venditori, potest tamen conveniens esse aliis, et si ipse propter hujusmodi vitium subtrahat, quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei, quia forte propter hujusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio,

(1) Circumstantia illa de speciali venditoris affectu ad rem, assignatur etiam ut sufficiens ad carius vendendum a Reiffenstuel. Theol. Moral. pag. 201, num. 192, quia venditor in gratiam emptoris se spoliat re illa, quam valde diligit, ipsique est valde utilis et pretiosa. Eandem pariter approbat circumstantiam Antoine pag. 450, col. 1. (Nota Rom. Theolog.)

(2) Idipsum quoque docet Antoine Tract. de Contract. quæst. 15. Resp. 3. Cum ipso tamen est ob-

quam esset subtrahendum: unde potest licite Venditor indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo. » (17. Teneretur tamen Venditor tale vitium manifeste patens indicare, si adverteret Emptorem esse tam rudem, et imperitum, ut nequidem vitium manifeste patens agnosceret, quia respectu talis vitium censeretur occultum; Sic communis Doctorum cum Molina disput. 353. num. 17. Layman loc. cit. § 2. num. 14. Petr. Navarr. de restit. c. 2. dub. 7. n. 54. Silvio in 2. 2. q. 77. art. 3. conclus. 4.

(18. Venditor tenetur manifestare vitium, seu defectum rei in substantia, v. g. indicare Emptori esse aurichalcum, quod credit esse verum aurum, esse vitrum, quod putat esse gemmam, et hujusmodi: aliter nedom venditio est illicita, sed etiam invalida: quia ubi est error, seu defectus in substantia, deest consensus, qui est de essentia venditionis, et emptionis, textu expresso in leg. *In venditionibus* ff. de contrahend. emptione, ibi: « In Venditionibus, et emptionibus consensum debere intercedere palam est; » et quod talis emptio, et venditio sit invalida, et nulla, habetur clare ex eadem cit. leg. *In venditionibus*, ibi: « Si igitur ego me fundum emere, ut putarem, Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronianum putasti, quia in corpore dissensimus (seu erravimus) emptio nulla est. » Et sic Doctores omnes. (19. Venditor tenetur manifestare vitium etiam circa qualitatem rei, quando causat damnum, et reddit mercem inutilem ad finem ementis: Sic communis Doctorum: argum. leg. *Labeo* 1. § *Proinde* ff. de Ædilit. edicto, ibi: « Proinde si quid tale fuerit vitii; sive morbi, quod usum, ministeriumque impediatur, id dabit redhibitioni locum. » (20. Non tenetur tamen Venditor manifestare vitium rei, si ita sit modicum, ut eo non obstante adhuc res sit æque, aut ferme æque utilis ad finem ementis; Sic Doctores communiter, argum. cit. leg. *Labeo* 1. § *Proinde* ff. de Ædilit. edicto, ibi: « Non utique quodlibet quam levissimum efficere, ut morbosus, vitiosusve habeatur; Proinde levis febricula, aut vetus quartana, quæ tamen jam sperni potest, vel vulnuseulum modicum, nullum habet in se delictum, contemni enim hoc potuerunt. » (21. Venditor tenetur manifestare vitium occultum etiam in quantitate: id est si emptor putet mercem majorem in pondere, numero, et mensura, tenetur venditor ei manifestare, quod sit minor, aliter manifesta committeretur fraus, et injustitia cum onere restitutionis totius damni; *Est communissima*.

(22. Venditor, qui ad alliciendos frequen-

servandum, quod si venditor, probabiliter judicat rem illam se esse venditurum tanto pretio, quanto si careret defectu, seu vitio tenetur ei aperire defectum, saltem post contractum, quia hoc ipso, quod rem suam venalem exponit cum occulto vitio, tenetur ex officii sui lege cavere ex parte sua, ne quis inde aliquod damnum patiat, alias occasionem præberet inferendi proximo damnum. (Nota Rom. Theologi.)

tores Emptores vendit merces pretio infimo, sed occulte non tradit integrum pondus, et mensuram, partem sibi reservando ad compensandum velut sibi debitum pretium, quo ab aliis Mercatoribus venduntur peccat graviter, et tenetur restituere tum Emptoribus, quia non stat contractui, et pacto inito cum illis tradendo integro pondere, et numero, et mensura: tum aliis Mercatoribus, qui jus habent, ut Emptores per talem fraudem a suis officinis non abstrahantur; Molina disput. 331. Sporer loc. cit. num. 75. Turrian. disput. 58, dub. 6. Lugo disput. 26, num. 135. La Croix lib. 5, part. 2, num. 954., et alii passim. (23. Possunt tamen Venditores occulte tantum diminuere de pondere, numero et mensura mercium, quantum requiritur ad complendum justum pretium in casu, quo vel pretium a Magistratu, vel a Deputatis sit injuste taxatum, vel Emptores inique convenient, quod non nisi certo minus justo pretio vulgari merces emere velint: et ratio est, quia nulli fit injuria cum, uti supponitur, servetur æqualitas inter mercem et pretium, et Mercatores possint justæ suæ consulere indemnitati sine damno alterius: Molina. disput. 2, 353. Layman tract. 4, cap. 17, num. 15. Lugo disput. 26., num. 125. Sporer loc. cit. num. 76. Reiffenstuel loc. citat. num. 182. lib. 8, cap. 7, § 11, num. 5. Sotus, Tolet. Valent. Rebell. apud Tamburin. lib. 8, cap. 7, § 11, n. 5, et alii passim. (24. Venditores habentes mercem v. g. triticum extraordinariæ bonitatis et majoris, quam illud, quod communi, vel taxato pretio venditur, possunt licite admiscere aliquid inferioris materiæ quousque reddatur æquale tritico communi pretio ab aliis in Foro vendi solito. Res enim notabiliter, et manifeste melior alia, jure meretur majus pretium, quod cum venditores obtinere non possint, juste tali admixtione compensant; Salvo tamen semper quod exinde si apta ad usum, et finem, pro quo emitur; Molina disput. 353. Less. cap. 21, dub. 11. Diana part. 11, tract. 8, resol. 51. Layman lib. 3, cap. 17, num. 15. Lopez par. 2, instruct. cap. 42. Sporer loc. cit. num. 80., et alii passim.

(25. Venditor vini valde præstantis, seu generosi potest ipsi admiscere vinum vilius, ut ad commune Fori vinum accedat, et ipsum vendere pretio communi; *Omnes*. (26. Sic etiam si Venditor vini nequit consequi justum ejus pretium, vel ex quo sit injuste taxatum, vel ex quo emptores ob suam iniquitatem nolint justo pretio emere, potest ipsi infundere modicam aquam ad se reddendum indemnem, dummodo nullum damnum sequatur Emptoribus, uti sequeretur, si essent conservaturi illud vinum ad longum tempus, cum vinum aqua dilutum facilius acescat, et tamdiu non conservetur; Layman l. cit. n. 15. Sporer loc. cit. num. 81. et alii passim. (27. Item si emptores abhorreant a vino nimis meraco, plus justo emendo, nisi ut aqua aliquantulum temperetur, non appareat Emptoribus ejus præstantia, et justus valor, et ideo venditor cogatur mi-

noris justo pretio vendere, vel omnino repellatur; tunc potest Venditor aliquantulum aquæ ipsi infundere ad reddendum ipsum tenius, et suavius, et se reddendum indemnem, dummodo Emptoribus nullum omnino sequatur damnum, et dummodo Venditor tantum minuat de pretio vini, quantum auget de admixtione aquæ. Et ratio est, quia venditor non potest vendere majorem quantitatem vini, quam habeat, ut de se patet: majorem autem quantitatem, quam habeat, venderet, si quantum auget de aqua, non minuat de pretio vini, quia vendens decem v. g. urnas, quibus una urna aquæ admixta est, is non nisi novem vini urnas vendit, unam vero aquæ: adeoque committit inæqualitatem inter datum et acceptum. (28. Nec valet dicere, vinum valde meracum, et rigidum admixtione modicæ aquæ fieri suavius, et quandoque melius: Non valet, inquam, quia hæc ars reddendi suavius, seu melius vinum per admixtionem aquæ est notissima etiam Emptori, qui poterit ipse aquam vino admiscere, si temperari expediat: unde non est cogendus ad emendam aquam pro vino: Sic Rebellus de contractib. lib. 9, quæst. 19. Layman lib. 3, tract. 4, cap. 17, num. 15. Sporer loc. citat. n. 81. et alii passim cum S. Antonino 2. part. tit. 1. cap. 17. § 4. ubi sic concludit: « Debet tamen venditores in hujusmodi casibus minus vendere, quam si esset purum, alias venderent aquam pro vino. »

(29. Venditor sciens scientia privata pretium mercis brevi minuendum esse, potest licite vendere pretio currenti, nihil indicando Emptori, quia pretium currens adhuc est justum: *Communis*. Vid. artic. antecedent. a num. 16. ad 18. (30. Deputatus ad aliquam rem vendendam certo, et determinato pretio, si pretium solummodo determinatur, ne minoris vendatur, non potest sibi retinere aliquid, si majori pretio vendat: *Communis*. (31. Potest tamen sibi retinere, si Dominus rei ita determinavit pretium, ut nihil aliud desideret, quam tale pretium, relinquens deputato, si quid majoris obtinuerit ab emptore: *Communis*. (32. Non possunt autem sibi aliquid retinere famuli, et famulæ, quibus a Dominis indeterminato pretio traditur res vendenda meliori modo quo possunt in utilitatem ipsorum Dominorum: *Communis*. (33. Regulariter loquendo quando aliter non constat de voluntate Domini, quilibet deputatus ad vendendam rem determinato pretio v. gr. pro decem, si ei contingat vendere pro duodecim, non potest tuta conscientia retinere illa duo: Vid. artic. antecedent. a num. 39. ad 41. (34. Venditor non potest plus justo augere pretium mercis solum ex eo, quod videat emptorem valde indigere illa, aut valde affici erga illam, quia indigentia illa, vel affectus non est res vendentis, nec merci intrinseca, sed est res ementis, unde injustissimum est ob illam solam indigentiam, vel specialem ad talem rem affectum ementis, plus justo pretio exigere; Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 4. num. 31. Filiucci. tract. 35. n. 77. Sporer loc. cit. n. 25. et alii passim.

(35. Venditor pro re valde rara, et peregrina, probabilis non potest rependere ab Emptore quodcumque sibi arbitrarium, et excessivum pretium, sed solum illud quod peritorum arbitrio, spectatis omnibus circumstantiis industriæ, raritatis, pretiositatis, pulchritudinis, periculi, laboris, etc., justum censetur, quia pretia debent commensurari valori rationabili rerum; leg. *Pretia rerum* 63, ff. ad Leg. Falcidiam; Sic Cajetan. Navarr. Molina. Rebell. Less. Salas, Castropal., distinct. 5. punct. 3. Henno, tom. 2, tract. 2, quæst. 6, Petes 7. Lugo, tom. 2, disputat. 26, numer. 47. Burghes, Cent. 2, cas. 58. La Croix, loc. citat., numer. 941 et alii. (36. Est tamen probabilis etiam contraria sententia, quod scilicet Venditor pro gemmis extraordinariis, picturis antiquis, avibus Indicis, aliisque animalibus, et rebus valde raris, et peregrinis valeat licite accipere quantum vult, et potest, quia talia valde rara, et peregrina, nec legitimum, nec vulgare pretium habent, quia cum non sint necessaria usibus humanis, non veniunt in commercium, aut taxationem communem. Unde venditor potest pro ipsis repetere pretium sibi arbitrarium quantumvis excessivum; et de facto apud Japonas, et alias incultas, et remotissimas nationes pro vilissima re peregrina sæpe accipitur maximum pretium; sicuti in dies videmus vendi maximo pretio res raras, et peregrinas etiam minoris momenti, quæ a remotissimis nationibus ad nos deferuntur; Sic Sotus, Medin. Ledesm. Solon. Valentia, Sa, Petr. Navar. Bauny, et alii cum Sporer, tom. 2, tract. 6, cap. 5, num. 25. Cum enim in his nulla necessitas cogat emptorem, judicatur is donare excessum supra pretium vulgare.

(37. Vendens in fraudem creditorum, quibus re vendita fit incapax solvendi, quod debet, peccat graviter, et tenetur quantum potest ad restitutionem, quia fraus et dolus nemini debent patrociniū impartiri per jura tum Civilia, tum Canonica adducta supra num. 14. (38. Et quamvis talis fraudulenta venditio, si sit facta ignoranti fraudem, remaneat valida; tamen si sit facta scienti fraudem, rescindi potest a creditoribus, etiam non restituto pretio ipsi emptori; leg. *Si debitor*, leg. *Si a debitore*, ff. quæ in fraudem creditorum facta sunt. (39. Si autem creditores intra annum, quo repetendi potestas est, non repetant rem in suum damnum a debitore fraudulenter venditam, tunc emptor remanet securus in foro externo, leg. 1 et l. cit. *Prætor* 10, ff. eod. (40. In foro tamen interno, seu conscientia emptor sciens fraudem venditoris non remanet securus, quia cum sciat venditionem fieri fraudulenter cum injusto damno creditorum, videtur cooperari ad talem injustam venditionem consentiendo, et acceptando, unde ratione talis cooperationis ad fraudem non remanet tutus in conscientia, arg. cit. Jur. supra

(1) Antequam sententiam, quam probabilem adfirmant Layman et Sporer, amplectatur Confessarius, conferat auctoritatem S. Antonini, et Cajetani

num. 14. Ita S. Antonin., part. 2, tit. 1, cap. 12, § 18. Paludan. in 4, dist. 13, qu. 2, art. 5, ad finem, Cajetan., in opuscul. de usuris, qu. 4. Cordub., lib. 1, qq. q. 39, par. 3. Navarr., c. 17, num. 281. Layman, loc. cit., num. 30. Sporer, loc. cit., num. 88 et alii. (41. Non desunt tamen magni nominis Doctores, qui dicunt talem emptorem remanere tutum etiam in conscientia; Sic Petrus Navarr., l. 3, cap. 4, n. 218. Molina, tom. 2, disp. 328. Lessius, lib. 2, cap. 20, dub. 10, num. 168. Quam sententiam probabilem affirmat Layman, et Sporer, locis citatis (1).

(42. Venditor fingens Literas de submersis navibus, quæ merces advehebant, vel spar-gens falsum rumorem de penuria, et caritate mercium in aliis proximis regionibus, vel de proxima obsidione Urbis, et de aliis similibus, quæ solent pretium mercium valde augere, si ob talem fraudem vendat carius, quam venderet suas merces, peccat graviter, et tenetur ad restitutionem; argum. cit. Jur. supra num. 14. Castropal., disp. 5, par. 35. La Croix, loc. cit., num. 995. Rebell. et alii passim. (43. Unde generaliter omnis venditor, qui fraude aut mendacio inducit emptorem ad emendum majori pretio, quam empturus esset, quamvis pretium, quod tradit adhuc fuerit intra limites justii pretii ratione suæ fraudis, seu consimiliter malitiosi mendacii graviter peccat, et tenetur ad restitutionem; arg. toties cit. Jur. supra n. 14. Sic Castropalao, loc. cit. La Croix, loc. cit., et habetur expresse in l. *Julianus* 13, ff. de action. empti et venditi, ibi: « Si venditor dolo fuerit, ut rem pluris venderet, empti eum judicio teneri, ut præstet quanto pluris servum emisset. » Rebell. et alii. (44. Si tamen venditor, vel mercator solum dicat, aut etiam juret, mercem sibi pluris constare, se pluris vendidisse aliis, et hujusmodi, quamvis emptor sic inducatur ad dandum majus pretium, quam non obligatur ad restitutionem, si sistat intra limites justii pretii, quia licet peccet venditor, seu mercator sic mentiens, aut jurans, tamen quia omnibus notum est, talia solere communiter dici a venditoribus, et mercatoribus, quamvis vera non sint, debet sibi imputare emptor, qui ipsis credit; Sic Rebell., Castropalao, La Croix, loco cit., num. 956, et alii.

(45. Vendens quid pro quo malitiose, v. g. aurichaleum pro vero auro, et hujusmodi, peccat graviter, et tenetur ad restitutionem, *Communis*. (46. Vendens quid pro quo æque utile ad finem emptoris, ut sæpe solet accidere in Pharmacopola, qui ne cogatur fateri non habere certum petium medicamentum, et sic minus frequentetur sua officina, dat unum medicamentum pro alio, tunc si tale aliud medicamentum sit æque utile infirmo, et ejusdem virtutis ac pretii, et præscriptum a Medico, non peccat saltem graviter, nec tenetur ad ullam restitutionem, si tale aliud datum medicamentum non sit

cum auctoritate Molina et Lesii, atque insuper illorum, ac istorum expendat rationes. (Edit. Barbiell.)